

www.e-rara.ch

**Grammatica religiosa, quae pie docet declinare a malo, & facere bonum,
amplecti perfectum in praesenti, & respuere imperfectum, ad obtinendum
futurum infinitum, cum participio salutis**

Abraham

Coloniae Agrippinae, anno 1719

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRa 53: b

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25379>

Sermo IX. De temerario iudicio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

S E R M O IX.

D E

Temerario Judicio.

Nolite judicare, ut non judicemini, in quo enim Judicio judicaveritis, judicabimini. Matth. 6. v. 5.

P A R S P R I M A.

1. **A**lterum vitium, quod dilectioni adversatur, est iudicium temerarium, de quo opprime sciendum cuiuslibet incumbit, quod definiatur sic: Est actus intellectus, quo alienos mores, & facta sine legitima autoritate & causa judicamus: nam si constet de facto, & ex officio incumbat, illius correctionem suscipere, non modò non peccatur illud iudicando, sed laudabilis etiam iustitiæ & charitatis actus exercetur. Unde bene cognoscere debemus, quando iudicium verè sit temerarium, tum scilicet, quando non ex certæ rationis dictamine, sed ex affectu inordinato, & corrupta passione proximus iudicatur. Hoc igitur bene præintellecto hujus vitii actus investigare debemus, qui licet sint multiplices, nos tamen brevitatis studiosi in tres tantum classes hos dividemus, quorum primus est: De actione alterius omninò bona & virtuosa sinistrum iudicium ferre. Secundus est, actionem per se indifferentem per verbo si se factam interpretari. Tertius tandem est, proximum apertè peccantem sine autoritate iudicare.

2. Igitur ut de ultimo ad actum primum redeamus, sciendum est, iudicium, quo bonum iudicamus malum, esse omnino Deo exosissimum. Hinc non immeritò h'c Deus per Isaiam minatur dicens: *Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Tales olim fuère Judæi, quibus Christus ait: *Venit Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum.* H'c malevolis hebræis bellè assimilari queunt illi Christiani & Religiosi, de quibus Divus Gregorius in moralibus sic scribit: Sunt aliqui, qui de omnibus malè iudicant. Dicunt enim, si quis studet humilitati, hypocrita est; si recreationi, gulosus est; si patientiæ, timidus est; si iustitiæ, impatiens est; si simplicitati, fatuus est; si prudentiæ, malitiosus est; si maturitati, phlegmaticus est; si iucunditati, dissolutus est; si religioni, singularis est; si societati, sæcul. ris est; si silentio & paci, dissimulatus est; si aliorum correctioni, præsumptuosus est; si instat vigiliis & orationibus, indiseretus est; si dormitioni, somnolentus est; si prædicationi & alio-

rum

rum salutem, appetitor laudis est; si desistat, negligens est, si habet gratiam hominum, adulator est: si adulari renuit, superbus est: hactenus gloriosus Doctor. Igitur vix similibus iudicibus, cum enim inexcusabiles sint & illi, qui sine legitima ratione, ipsa mala male iudicant (ut infra patebit) quid ergo, quæso, continget eis, qui ipsa bona à proximo facta mala esse interpretantur? Caveat ergo quisque sibi ab invidia, à qua tam pervertitum pullulascit iudicium, extirpabimus autem hoc vitium, si mox, dum proximum nostrum bona operari vel ipsi cernimus vel ab aliis audimus, mentem ad DEUM elevemus, & cordis affectu dicamus ex sequentibus suspiriis, quidpiam: v. g. 1. Suscipe hoc opus mi dulcissime JESU, unitum meritis Sanctorum tuorum perinde, ac si meum esset. 2. Gratias tibi ago DEUS, sicut si illud mihi contulisses. 3. Adjunge Domine ipsi gratiam, ut majora & gratiora tibi faciat. 4. Largire mi DEUS, ut quisquis hæc ejus bona videt, exemplo excitatus, pariter meditetur, & agat ad majus obsequium & gloriam tuam, &c.

3. Alter actus hujus temerarii iudicii est indifferentia, & quæ ab extrinseco duntaxat mala apparent sinistrè interpretari: ut si quis Sacerdotem in domum suspectæ mulieris intrantem iudicet ex intentione cum ea peccandi ingressum esse, cum tamen is ad eisdem confessionem excipiendam intravit. Porro quàm detestabile in oculis DEI tale iudicium sit, & quàm severè hoc puniat, docemur historia sequenti. Dum quidam Monachus nomine Vitalius de prostibulo aliquando egrederetur, quidam qui temerè iudicabat, eum ex plendæ libidinis gratia in illo fuisse, colaphum ei impexit dicens: Usquequo, pessime illusor Christi non emendas te ab his nequitiiis tuis? Mox quidam dæmon tanquam Æliops deformis dat ei quoque alapam, & cadens cœpit spumare à dæmone obsessus. Sed post aliquot horas ad se rediens, currit eum astantibus ad cellulam Vitalii: Culpam inquit, feci, serve DEI miserere mei. Qui ignoscens & orans, percussorem à dæmone liberavit: & in cellula inventa fuit ab astantibus scriptura: Viri Alexandrini, nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus. Adibat autem Vitalius prostibula, ut meretrices à turpi corporis quæstu avocaret, pecuniaque paciscebatur vel unius noctis continentiam. Ex quo liquet, quàm periculosum sit de actibus aliorum sinistrum formare iudicium. Sed ut hujus rei veritas magis elucescat, audire libet, quod in Vitis Patrum narratur.

4. Fuerunt duo fratres magnæ sanctæque vitæ in congregatione, & meruerunt singuli videre gratiam DEI in alterutro. Factum est autem aliquandò, ut unus ex eis egrederetur in sexta feria, qui aliquem Monachum vidit manè manducantem; quare non interrogavit fraternè eum, utrum forsan esset infirmus, aut necessitatem comedendi haberet, sed dixit: quare tam manè manducas frater, non nescis, quod sit dies veneris? Quoniam putabat comedentem suæ regulæ adversari. Porro die sequenti facta est celebratio missarum secundum consuetudinem; & dum alter suum confratrem intueretur, vidit, quòd gratia, quæ ei data fue-

rat, discesserit ab eo, & contristatus est. Qui cum venisset in cellam, dixit: Quid fecisti frater, quia non vidi sicut pridem gratiam DEI in te? Ille autem respondens ait: ego neque in actibus, neque in verbis, neque in cogitationibus conscius sum mihi alicujus mali. Ad hæc alter; Nonne aliquod verbum vel sermonem otiosum locutus es? Et recordatus dixit; hesternâ die vidi quendam manè manducantem, & dixi ei: hæc horâ manducas in sexta feria? Hoc forsan est peccatum meum. Quare ad suum confratrem ait: labora mecum duas hebdomadas & rogemus DEUM, ut mihi indulgeat, & fecerunt ita. Itaque elapsis duabus hebdomatibus vidit frater gratiam DEI rursus venientem super alterum, & toti consolari DEO gratias referebant. Porro si ob tam pauca verba ex injuriatantum prolata hic asceta singulari illâ gratiâ ad tempus privatus fuerit, profecto pertimescendum habemus & nos, ne hæc plene ob sinistre judicium destituamur.

D. Bonnav. in vita ejus. 5. Minimè ignoravit hoc S. Franciscus Seraphicus, qui vel ideò acriter ob-
jurgavit sui itineris socium. Cùm enim hic S. Vir pauperculo cuidam obviam
ret, & nuditatem ejus identidem ingemisceret, frater, cum quo iter agebat, di-
xit: Pater etsi ille rebus pauper est, fortasse rerum concupiscentiâ dives est: Quæ
ut audit S. Franciscus, mox ipsum tunicam suam exuere & pauperem operire jus-
sit, simulque vestibus spoliatus ad pauperis vestigia se abjicere & veniam de suo
judicio temerario à mendico petere debuit. Quod frater, ne à S. suo Patre re-
pelleretur, libenter & magnâ submissione præstitit. Præter igitur suspiciones,
cùm præsertim de crimine nihil constat, sedulo vitandæ sunt. Ad hoc autem præ-
2. Cor. 3. standum, dicamus cum S. Paulo: *Quid mihi de iis, quæ foris sunt judicare?* Præ-
5. 12. terea etiam juvabit ad hoc judicium evitandum, consideratio quam nobis sugge-
rit S. Chrysostomus dicens: Sicut difficilè aliquem suspicatur malum, qui bonus
est, ita difficilè suspicatur aliquem bonum, qui malus est. Quoniam quilibet ho-
10. 7. 3. mo judicat alterum secundum se. Hinc Ecclesiastes ait: *Stultus in via ambulans,*
cùm ipse insipiens sit, omnes (quos obvios habet) stultos æstimat. Et quemadmo-
dum ille, qui per vitrum viride prospicit, omnia viridia apparent, qui per ru-
brum, omnia rubra: Sic ille, qui variis vitiis obrutus est, dum per suam conscientiam,
velut per speculum prospicit, omnia, quæ in proximo videt, vitiosa esse judi-
cat. Quibus accommodatur illud Apostoli dictum: *In quo alium judicas, reipsum*
condemnas, & hoc ipsum facis, quod judicas facere alterum. Et sicut præterea stomachus
Rom. 10. malæ complexionis cibos quoscumque etiam optimos in malam substantiam
1. vertit, bonus autem omnes cibos etsi nocivos in substantiam bonam immutat:
Sic quoque malevoli homines, quæcunque in proximo intuentur in mala esse suspi-
cantur, boni verò & virtuosî cuncta, etiam quæ minus videntur reâ, in optimam
trahunt partem.

6. Ergo quicumque coram DEO inter bonos & religiosos viros numerari cupit, caveat ne de quibuscunque actibus sui fratris sinistrum ferat judicium, sed

sed credat omnia recto fine & intentione illum operari, studeatque omnia facta in partem optimam interpretari. Et si quis sedulo hoc præstiterit, quale non, putamus præmium à DEO consequetur: Quod colligere licet ex quadam visione fratri Leoni uni ex primis S. Francisci sociis facta, Multi enim fratres ejusdem Ordinis magnâ claritate circumdati & in ordinem distincti apparuerunt illi, in quorum medio quidam cæteris gloriosior gradiebatur, ex cujus oculis tanquam radii solares claritas emicabat adeò, ut ipsum intueri nequiret. Quare pius frater Leo proximè sibi adstantes percontatus, quis esset ille? à quibus audiit esse fratrem Bernardum Quintavalle primum Socium S. nati Francisci. Causam verò tanti jubaris fuisse hanc: Quia hic in vita suâ cuncta quæ vidit, in meliorem partem traxit, & omnes divinâ gratiâ multò digniores, & meliores æstimavit quàm se. Si enim pauper mendicus ei obviaret, dicere solebat: Ecce frater Bernardus, hic pauper suam pauperiem longè patientius tolerat, quàm tu tuam. Si verò ei quidam dives splendide vestitus obvius esset, se ipsum ad sui confusionem sic compellabat; Ecce iste quidem se comptè vestit, & nihilominus forsitan sub hoc vestimento portat cilicium, ut vel sic vanam gloriam declinet, & carnem suam in occulto plùs quàm tu castiget, & propter hanc simplicitatem oculorum suorum tantâ claritate radiat. Sequamur ergo hujus viri Sancti exemplum, & opinionem talem de proximo nostro formare satagamus. Quod nobis suavit S. Dorotheus: Si enim, inquit, ad cellam cujusdam fratris intramus & omnia incomposita disturbataque super cumulum jacere conspiciamus, & fratrem ipsum minimè munditiæ studiosum, sed in suis actibus sordidum esse intelligimus, tunc dicere aut cogitare debemus; O quam beatus est hic frater, quoniam sic in DEUM absorptus est, ut externa nil æstimet. Quod si verò ille in omnibus suis mundus est, remque suam omnem ordinatè custodit, rursus ad simile judicium formandum nos stimulat: Ecce decor & externus ordo sunt signa, quod hic frater optimè in interna animæ munditia sit constitutus. Habes igitur hic charè frater normam, secundum quam tuum judicium circa tuorum fratrum acta regulare poteris. Quomodo verò te gerere debes, dum aliquem apertè peccare & actionem per se peccaminosam elicere conspicias, intelliges ex dicendis.

P A R S A L T E R A.

7. Notum perspectumque est illud Appellus factum. Hic enim icones à se Langius pictas ante domum exponere, hominumque de iis judicia audire solebat. Ita in Poliat: que aliquando accidit, quòd quispiam sutor transiens & picturam contemplans, f. 617. crepidas non ritè factas diceret, quòd judicium Appelles patienter tulit. Ubi verò etiam de crure aliisque membris judicium ferre cœpit, indignatus prospexit, dixitque, Sutor ne ultra crepidam. Ita quoque agere videtur supremus rerum omnium Architector DEUS, quia varias effingit statuas, animas scilicet creando, quæ sunt imagines DEI, has exponit etiam in publico mundi theatro teste Apostolo dicente, spectaculum facti sumus mundo & Angelis & ho-

In Chrō.
mino-
rum 1. p.
l. s. c. 9.
Historia.

Doctr.
16.

minibus. Exponit, inquam, has suas imagines DEUS, non quidem ut eas judicemus, sed ut per earum aspectum factorem laudemus. Caveamus ergo judicare de his divinis artefactis ea, quæ ad nos minimè spectant, si ab eorum Artifice objurgari ac reprehendi pertimescemus. Sed dicet forsitan aliquis, non judico de iis quæ recta sunt, & quæ mala non apparent, sed tantùm de his, in quibus offensa DEI relucet, cui responderetur, nequaquam licitum esse tale iudicium. Hinc simili ait S. Paulus: *Tu quis es, qui alienum iudicas servum? Domino suo stat, aut cadit.* Ac si diceret, qui non suum servum sed alienum etsi apertè delinquentem iudicat, habere debet iudicariam potestatem delegatam à Domino illius servi, quem iudicat, ergo si tu de aliorum peccatis iudicium fers, quæro ex te, quis tibi hanc potestatem dedit? Fortassis creavit te DEUS iudicem alterius? Nequaquam, sed Socium. Quia Pater omne iudicium dedit Filio non tibi; Igitur si iudicas, ejus jurisdictionem tibi arrogas. Et quid, amabò, tali arrogantia nequitiosius? Quid hâc superbiâ periculosius? Procul igitur ab hinc omne temerarium iudicium, ad quod faciendum nos Apostolus hortatur dicens: *Quid iudicas fratrem tuum? omnes stabimus ante tribunal Christi, in quo tantò rigidius feremus iudicium, quantò rigidius proximum quisque iudicaverit.* Propterea Doctor Gentium ait: Inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas. Quid gravius; quid tali censurâ formidolosius? Ad hunc scopum videtur etiam collimare pius Asceta his verbis: Quid ad te? utrum ille sit talis vel talis: aut iste sic aut sic agit vel loquitur? tu non indiges respondere pro aliis, sed pro te ipso rationem reddes, quid ergo te implicas?

Rom. 14.
v. 4.

Rom. 2.
v. 1.

Thomas
Kemp.
l. 3. c. 24.
§. 1.

Surius
Tom. 1.
Historia.

8. Quamobrem etsi quandoque aliquem apertè videremus peccare, non propterea tamen debemus illum contemnere, sed debemus sperare, quòd post illum actum peccaminosum contritionem elicuerit. Et ad hoc cogitandum nos stimulat Divus Bernardus; quando video, inquit, aliquem suum proximum interficere, antequam cultellum extrahit, debeo eum penitentem æstimare, multò magis si hodie video aliquem peccare, cras non debeo eum pro peccatore habere, sed penitentem æstimare. Hinc legimus in vita Sancti Joannis Eleemosynarii, quod quidam juvenis impudicus Virginem DEO Sacram ad libidinis suæ intemperantiam allegerat, & secum Alexandria cum maximo totius civitatis scandalo Byzantium abduxerat. Nemo non erat, qui juvenem illum æternæ damnationis filium & scelestum & sacrilegum appellaret. Cùmque eum Clerici coram beato Joanne exprobrarent, & excommunicandum fore dicerent, ut puta, quòd duas animas perdiderat, scilicet suam & illius sanctimonialis. Quod ut vir sanctus audit, compescuit eos dicens: Nolite filii, nolite tantâ facilitate de proximo iudicium ferre. In duo namque gravissima mala incurritis, unum quod præceptum illius transgredimini, qui nos ante tempus iudicare prohibet; alterum quòd summa quâdam temeritate aliorum vos Iudices constituitis. Incertum enim est omninò, an hujusque peccati vinculis alligati maneam,

maneant, an verò Dei benignitate soluti peccati jugum à cervicibus suis excusserint. An ignoratis, quòd in eo judicio, quo judicabitis, judicabimini?

9. Porrò si hujus memorati Viri sancti opinio nondum alicui sufficiat ad excutiendum hoc malevolum judicium, exterreatur saltem ab eo, quod meminit S. Dorotheus, qui sic ait: Nihil gravius, nihil difficilius, quàm proximum judicare vel contemnere. Cur non magis nos ipsos dijudicemus de malis propriis, quæ optimè novimus, & de quibus vel inviti reddere rationem Deo cogemur? Quid usurpamus judicium Dei? Quid ad nos de creatura, & terro alieno? An non contremisimus totis visceribus, dum audimus, quid seniori illi magno contigerit. Qui cum audivisset unum è fratribus in adulterium cecidisse, cum indignatione dixit, pessimè fecit. Et ecce quidam Angelus illius peccatoris animam, cum jam è vita migrasset, ad senem deruli, dixit tunc: En, quem judicasti, vitâ functus est, quo me igitur jubes ipsius animam deferre, ad superosne, an ad inferos? Quibus verbis Angelus nil aliud illi seni innuere voluit, quàm hoc: Situ justorum jam factus es judex, dic mihi, oro, de miserabili hac animâ, quam sententiam feras, velisne misereri, an sævire? Quæ cum, vir Sanctus audivisset, ita percussus est hac horribili interrogatione, ut reliquum omne vitæ suæ tempus inter lachrymas gemitusque, & innumeras ærumnas transegerit, veniam tanti peccati deposcens à Deo. Ad pedes tandem Angeli revertentis procidens audivit impetrâsse se veniam à Deo, Deumque id fecisse, ut ostenderet, quàm ei grave & molestum esset judicium nostrum temerarium, monuitque, ne animo id unquam faceret. Non tamen potuit sanctissimus senecio his verbis ullam consolationem admittere, sed perpetuis pœnis tormentisque sese, dum vixit, addixit.

10. O si Sanctus hicce Eremicola ob tam leve judicium, quo ex nimio tantùm zelo dixerit suum fratrem pessimè fecisse, quòd adulterium perpetraverit, ita confusus fuerit! Quid, quæso nobiscum fiet, qui non duntaxat proximum nostrum ob aliqua commissa peccata malè fecisse dicimus, sed insuper sæpe ex inordinata passione illum multis pœnis dignum esse & judicamus, & propterea illum puniri optamus! Profectò veniet tempus, ubi & nos pari judicio à Deo corripiemur. Præterea etiam justò Dei judicio plerumque contingit, ut qui alios judicant, in eisdem defectus, quos aliis impurârunt, cadunt. Hinc Abbas Machetes fastus est, tria fuisse, in quibus alios judicârit ac reprehenderit, sed in omnia tria paulò post ipsemet incidit. Unde hortabatur unumquemque, ut seipsum tantummodo judicet, non autem aliorum vitam discutiat, eò quòd manifestum sit, iisdem vitiis obligari Monachum, in quibus de aliis judicare præsumpserit. Et dato, quòd in eadem vitiis non cadant, tamen eâdem pœnâ digni sunt, uti Christus S. Mechtildi revelavit, dum eidem dixit, magni esse criminis, cum homo judicat proximum suum, quem si injustè judicaverit, reus erit tant sceleris, quanti esset is, qui fecisset hoc malum, quòd de alio judicatur. Quod si homo etiam

C.6. Biblioth. PP. tom. 2.

Historia.

Cassian. l. 5. c. 30.

l. 2. c. 7.

fecit id, quod de eo dicitur; tamen quia nesciens intentionem facientis sectandùm cor suum & sensum judicat, tam reus erit ex ipso judicio, quàm ille qui rem ipsam perpetravit; & nisi poenitendo diluat, simili poenæ, quam ille promeruit, qui hoc malum fecit, & ille subjacebit.

11. Hinc ergo advertamus, quàm severè divina justitia sæviat in iniquos aliorum judices, dum eos sic arguat non secus, ac si ipsimet peccata, de quibus proximum judicant, perpetrassent. Et licet hæc revelatio S. Mechtildi facta de fide non sit, sed tantum piè credenda; nihilominus tamen hujusce veritas clarè eruitur ex sacris paginis. Christus enim apud Matthæum sic ait: Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Ex quibus colligere est, ut rectè annotavit S. Dorothæus, quòd Christus comparaverit peccatum proximi festucæ, judicium verò de eo trabi; Sicque longè enormius delinquit peccantem judicando, quàm judicati peccata perpetrando. Unde memoratus Sanctus ait ulterius: usque adeò grave est proximum judicare, ut ferè omne peccatum excedat. Caveamus ergo à tanta pestilentia, & ne ab hac venenosa lue inflemur, imitemur factum Salvatoris & capitis nostri Christi, qui etsi peccata inimicorum suorum intimè perspecta haberet, nihilominus tamen ea excusans apud Patrem dixit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Si hoc egit Christus legitimè à Patre suo cœlesti constitutus iudex, quid porrò nos non etiam deberemus facere, qui minimè judicis potestate pollemus? Præsertim cùm idem noster Servator dicat: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.*

12. Quamobrem si verè cupimus esse membra Christi, adhærere ipsi debemus, videlicet ejus mansuetudinem imitando, peccata nostrorum fratrum excusando, eisque compatiendo. Ut autem hoc efficacius præstare valeamus, ut media arripiamus, necesse est, quorum primum est consideratio propriorum delictorum, quale S. Climacus sequentibus verbis peroptimè assignavit: Qui celeres nimium, que diligentes Proximi delictorum judices sunt, hoc idcirco patiuntur, quia nondum suorum peccatorum fixam atque perfectam memoriam curamque susceperunt. Nam si quis amoto proprii amoris velamine mala sua diligenter inspiciat, nullius jam rei alterius in hac vita curam geret, id apud se reputans, tempus sibi sufficere non posse, quo seipsum lugeat, tametsi centum annos vixerit; etiamsi Jordanem fluvium in lachrymas conversum ex oculis manare conspexerit. Porrò hoc ipsum contra judicium temerarium remedium reliquit nobis Christus. Nam dum fortè invidi Judæi mulierem in adulterio deprehensam ad Salvatorem deducerent, & secundùm legem lapidandam esse simul proclamarent, repressit eorum furorē mansuetissimus Agnus dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Ad aliena quippe peccata punienda ibant, & sua reliquerant. Quod ipsum egregiè confirmavit senex ille, qui à fratre rogatus, quæ cautela esset, cur assidue judicaret fratres Monachos? respondit: *Quia necdum teipsum cognovisti; nam qui seipsum novit, fratrum vitia non aspicit.*

13. Præclare hoc præstitit S. Abbas Pimenius, nam dum vice quâdam Patres Antiqui in unum convenissent, & de quorundam fratrum moribus judicando locuti fuissent, etiam est rogatus Pimenius, ut sententiam in fratrem lapsum diceret; quod ut Vir Sanctus intellexit, tulit magnam sportam, & implevit eam arenâ, & posuit super dorsum suum: Deinde de eadem arena accipiens implevit parvam sportellam, & appendit illam ante se. Quem cum fratres sic facientem vidissent, inquisierunt ab eo, quidnam hoc portenderet? & respondit: Sporta magna, quæ multam de arena continet, significat peccata mea, quæ, quia multa sunt, projecit ea post tergum meum nolens illa videre, ne pro illis doleam aut plangam, sed ecce pauca delicta fratris mei ante oculos meos locavi, & discrucior in ipsis condemnans fratrem; sed non oportet sic judicare, sed magis peccata mea ante me adducere, & de ipsis cogitare supplicareque Deum, ut mihi ea indulgeat. Quod audientes Patres dixerunt: In veritate hæc est via salutis æternæ. Intellexistine nunc cære frater ex his, quàm grave sit etiam de apertis delictis judicare proximum? Amplectere ergo adversus hoc vitium nunc à nobis specificatum remedium, aut si mavis quoddam ex sequentibus.

P A R S T E R T I A.

14. Quod nos etiam à Judicio temerario avocare debet, est, quod Deus nunquam permetteret aliquem labi in aliquod peccatum, nisi sciret hunc ipsum lapsum vertere in bonum. Unde Thomistæ in tractatu de Prædestinatione docent, permissionem peccati in Electis esse effectum prædestinationis illorum; quia dum in varia incidunt peccata, alacriores, ad currendam perfectionis semitam resurgunt, nam quemadmodum S. Paulus ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ubi Glossa addit etiam ipsa peccata, & S. Thomas ibidem docet, peccata prædestinatorum cooperari ipsis in bonum. Idem passim asserunt SS. Patres, inter quos S. P. N. Augustinus hæc scribit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, usque adeo prorsus omnia, ut etiam, si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia meliores redeunt atque cautiores.* Præterea etiam permissio peccati est volita à Deo propter aliquem bonum finem: Deus enim, ut inquit, magnum Ecclesiæ lumen Augustinus: cum sit summè bonus, nullo modo fineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam de malo. Et quod hæc ita se habeant, clarè conspicimus in Apostolorum Principe Petro, in Evangelista Matthæo, in S. Maria Magd. multisque aliis peccatoribus ac peccatricibus, qui si nunquam cecidissent, nec ipsi tam Deo grati evasisent, & multi præterea centeni alii, in æternum exitium præcipites acti fuissent, quos tamen lapsus & pœnitudo Petri aliorumque pœnitentium erexit, & ad pœnitentiam provocavit, ac tandem ad æternam beatitudinem præmisit.

15. Præterea etiam licet peccata à reprobis commissa non veniant in eorum utilitatem, cedunt tamen in bonum electorum; nam ut discurrit Divus Thomas:

Sicut

Historia
Vita Pa-
trum p. 2.

Rom. 8.
Lect. 8.

Decor-
rept. &
gra. c. 9.

In En-
chir. c. 30.

Sup. c. 8.
Epis. ad
Rom.
Lect. 6.

Sicut mala naturalia, quæ accidunt in universo, non semper ordinantur ad bonum illorum, quibus accidunt, bene tamen ad bonum universi: ita malum culpæ, seu permissio illius, non semper eligitur in bonum ejus, cui permittitur peccatum, bene tamen in bonum nobilissimarum partium universi, scilicet Electorum. Suppositâ igitur hâc doctrinâ tanquam verissimâ, videamus quantæ sit malitiæ, mox ut peccare aliquem cernimus, eum iniquè judicare; præsertim cum ignoremus, utrum delinquens sit ex numero prædestinatorum aut reproborum. Si est inter prædestinatos, tunc certum est, hoc ipsum peccatum ipsi cedere in majus animæ suæ bonum; Si verò inter reprobos peccans est, rursus indubiè hujus peccata in Electorum commodum verti; Convertamus ergo nos sive ad electos sive ad reprobos, & videbimus undique, quod eorum omnia mala Deus dirigit in finem optimum. Quid itaque iniquius tali judicio? Hinc S. Raymundus inter alia vice testamenti suis spiritualibus filiis relicta specialiter hortatus est eos, ne quem unquam judicarent, dixitque hoc esse necessarium ad veram mentis puritatem, ut in omnibus Dei voluntati attenderetur, qui omnia permittit ad bonum finem.

S. Do-
roth.
Doct. 3.

16. Quapropter ut & nos ex alterius lapsu fructum merere valeamus, imitemur Sanctum quendam Anachoritam, qui cum aliquando fratris sui lapsura cognovisset, cum gemitu dixit: Heu mihi, ille hodie, ego cras. O quam citò invenit, ne fratrem suum judicaret, per illud enim verbum, ego cras, in se ipso timorem salubrem excitavit, sicque judicium effugit. Præterea etiam in his casibus cogitandum cuilibet incumbit, dicendo aut ruminando, si foissem in his aut illis circumstantiis, haud dubiè & ego, sicut frater meus, cecidissem, quare gratias agam Deo meo, quòd hisce periculis me non exposuerit. Cæterum contra hoc judicium etiam amuletum est, attenta consideratio, quod videlicet sæpissimè multi materialiter duntaxat peccent, etsi quandoque gravia committere videntur, utpotè quia bonâ fide putant non esse malum, quod agunt, sæpe etiam adest ignorantia inculpabilis, multæque aliæ causæ nobis incognitæ, ob quas Deus illis istum aut illum actum peccaminosum non imputat. Et si nos sine omni consideratione de similibus mox fratrem nostrum reprehendere præsumamus, quem tamen Deus excusat, nonne enormiter delinquimus? Hinc meritò nos adhortatur Divus Bernardus cum dicto: Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Idem quemadmodum exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ Domini, ut loquitur Isaias, à viis nostris, id est, à Deo reprobatur, & è contra, quod nobis justum videtur, à Deo approbatur. Unde non raro in nostris judiciis gravissimè hallucinamur, ut colligere est ex eo, quòd subjungo.

Ser. 4. in
Cant.

6. 54.

In Vita
Maria
de Vict.

17. Cum Anno Domini 1604. Maria de Victoria Ordinem monialium instituisset, accidit aliquando, ut intelligeret monialem quandam totaliter desperatam

tam cum morte luctari. Advolavit ergò illa, & invenit spectaculum prorsus miserandum. Nam quidquid vel Sacerdos vel Socius pius in aurem inclamasset, semper visa est indignari. Inter cætera exhibebatur miseræ imago Crucifixi, sed illa avertabatur Salvatorem, quem neque oculis quidem benignis intueri voluit. Juebant illam, ut saltem osculo suum Salvatorem veneraretur, sed illa os oculosque pertinaciter clausit. Quia quod horrendum auditu est, in Sacrosanctam Christi Crucifixi effigiem cum ingenti circumstantium scandalo sæpiùs phlegmata fædissima expuit. Quamobrem varia hominum judicia de ea circumvolabant; Alii enim dicebant, eam non esse mentis capace, alii conscientia stimulis & furis agitari dicere non dubitabant; Alii verò asseverabant illam quidem sæpè, sed nunquam rectè candideque peccata confessam esse, odia ac libidines suas Confessario celasse, ut casta & Sancta haberetur, proinde illi justo Dei judicio contingere, ut jam in extremis uti non posset remedio Sacramentorum, quibus in vita abusa pro divina gratia atque amore iram meruisset. Itaque mirum non esse, si spem jam nullam habeat, quæ divina nunquam seriò tractasset. Porro inter omnes, qui tam diro spectaculo præsentibus aderant, nemo magis hanc sacrilegam desperationem abominatus est, quàm Maria Victoria, quæ memor divinæ potentia ac clementia ad lectum propius accedit, ut suis precibus divinam opem puellæ impetraret, eamque à desperatione liberaret; Neque ab incæptis precationibus remisit, donec videret ægotam menti restitutam & ab illis insanis liberatam. Vim habuere preces, puella enim menti quietique pristina restituta est. Cumque interrogaretur à Maria Victoria, cur ab Authore salutis, atque ab ipsa Christi Crucifixi imagine paulò antè adeò horruerit? Respondit se nequaquam à Christo aut ejus effigie, sed ab ipsomet cacodæmone tantopere abhorruisse, præsentem enim adfuisse diabolum horrenda specie spectabilem, qui sese identidem in et Crucem & ipsam interposuit, omnique vi voluit, ut loco Crucifixi infernale monstrum oscularetur. In quam tam impiam suggestionem, cum ego nollem consentire, inquit ægrotæ, cacodæmoni in faciem spui, tentationique impurissimæ obstiti, neque tranquilla fieri potuissim, donec Victoria precibus tentator abigeretur.

18. Verùm enim verò quis hæc audiens non admiretur, non obstupescat? ac simul ab hoc judicio sibi non caveat? cum intelligat omnes hos gravissimè hallucinatos fuisse, dum indubitanter hanc devotam Christi sponsam pessimam esse pronuntiârunt. Quare nos admonet Doctor gentium D. Paulus: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.* Sed ut supradictorum veritas magis elucescat, adjungere libet alteram consimilem historiam. Non procul Voburgio perantiquo oppido Colonus profectæ jam ætatis uxore ac liberis jam dudam extinctis in agresti casa solus degebat, nec aliud agebat, quàm votis ac precibus Deum venerari. Unde passim pius rusticus audiebat, Hic omnibus Dominicis

1. Cor. 4.

v. 5.

Historia.

Stenge-

lius ro. 3.

de jud.

divi. c. 17.

diebus ad oppidum prædictum, ut missarum solenniis interesset, confluit; peractisque divinis officii ob suam inopiam stipem ostiatim quærebat, quâ sequenti hebdomadâ vitam toleraret, cui etiam omnes hujus loci incolæ liberaliter eleemotynam impertierunt. Cæterùm duo latrones hunc rusticum ob receptas ab incolis donationes multò argento divitem esse rati, invaserunt noctu tuguriolum ejus, & miserandum senem corripuerunt, mortemque minati, nisi collatum sibi pecalium omne prodar. Pauper senecio, cum negaret quidquam auri argentique possèdere, ad terram prostrâunt, funemque collo ejus injecerunt, ac miserandum in modum pium rusticellum strangulârunt. Hinc undique pecunias quæsierunt, sed nullam invenerunt, quare consilium inierunt, quomodo nefarium scelus tegerent, omnemque latrocinii suspicionem à se removerent. Corpus igitur interfecti è trabe suspenderunt, ut visentibus opinionem ingererent, infelicem hominem ultrò sibi mortem conscivisse. Sic obferatâ fortiter januâ parricidæ profugerunt. Latuit res in diem proximam Dominicam, in qua à Voburgensibus desideraretur, ægrum cives suspicati, submitunt, qui decumbentem invisant, & stipem cum edulio delicatiore deferant. Sed famuli cum domunculam clausam reperissent, nec signum aliquod ab inquilino percepissent, oppidanis renuntiant senem abesse, & haud dubiè religionis aut voti causâ peregrinatum abuisse. At ubi diutius quàm pro more, abesse animadvertum est, res paulatim in suspicionem venit, fortasse miserum se ipsum occidisse. Itaque fores vi infregerunt, & simul ingressi lamentabile spectaculum conspexerunt, scilicet miserabilem senem è ligno suspensum. Desertur res ad Magistratum Voburgensem, qui pendulum detrahi, & tanquam cædis reum sub patibulo humari præcepit. Quapropter omnes unanimiter hunc pium rusticum, non talem qualis æstimabatur, sed simulatorem & hypocritam fuisse dixerunt, multisque aliis malis modis eum judicârunt. Enim verò supremus ille virtutum arbiter non diu finit paupericulum rusticum tantâ infamiâ notari, sed quantocius ejus Sanctimoniam in hunc modum manifestavit. Nundinæ Voburgi futuræ erant, ad quas maxima hominum multitudo confluere solebat, inter quos etiam erant claudi, cæci, elephantiaci, qui non secùs ac sani ad illam frequentiam concurrebant. Ex his primùm cæcus, dum alienâ manu ductus patibulum transiret, ubi innocentis Coloni cadaver sepultum jacebat, repente cœpit oculos aperire, cœlum terramque mirabilis intuitu, secutus est hunc eodem tempore, qui pedibus ligneis incedebat, & mox etiam ille in eodem loco sanitati restitutus abjectisque grallis magnâ lætitiâ gestire & sine mora currere cœpit. Accessit demum, qui scœdâ leprâ erat notatus, quare & ille præter omnem spem in eodem loco à sua infirmitate liberatus est. Hæc res tam inusitata, cum per oppidum latè spargeretur, cogitarunt incolæ, fortassis innoxium illum senem & rusticum non indebito loco tumulatum. Interea evenit, quòd illi scelerati latrones, qui agricolam hunc domi suæ interfecerant, Voburgi alio nomine comprehensi, jam in vinculis detinebantur, qui cum

ex custodibus carceris audirent, quæ cæco, claudo, & elephantico proximè patibulum transeuntibus accidissent, Miraculo attoniti cædem à se factam confessi sunt, omnemque rei seriem Magistratui exposuerunt; quam ob causam ad causam senis accesserint, hominem jugularint, & jugulatum in furcam egerint, ut furti susceptionem à se amolirentur: se omninò existimare, tres illos juxta patibulum, ope illius sanitati redditos esse, ut innocenti cædes divinitùs proderetur. Senatus Voburgensis Episcopo Ratisbonensi prodigium nuntiat, qui mox cum sacro ordine & frequenti hominum concursu locum supplex accessit, corpus effodit, suisque ipse & suorum humeris Voburgum deportavit, ubi multis deinceps beneficiis in homines collatis nobilitatus & cultus est. Parricidæ illi tum propter hoc, tum propter alia facinora extremo affecti sunt supplicio.

19. Ex quo clarè pater, quàm vera sint, quæ superiùs memoravimus, videmus enim, quòd hic Colonus passim pro facinoroso homuncione habebatur, ob cuius tamen sanctimoniam Deus miracula patrare non est dedignatus. Igitur cum tam fallax sit judicium humanum, caveamus, ne ab eo circumveniamur; ut verò hujus vitii laqueos evadere valeamus, perpendenda nobis quoque erunt commoda, quæ hujusce Judicii triumphatores reportare solent, sed quia multa & varia sunt, omisissis aliis unum tantum & quidem principale emolumentum inde enasci solitum per cujusdam historię narrationem referemus. Anastasius Episcopus Antiochenus, cognomento Sinaita refert; Quòd quidam vir unus ex eis, qui monachali insigniti sunt (schemate, cum negligentissimè per summum otium vitam suam omnem exegisset, eà, quæ esset ad mortem, infirmitate cœpit infirmari. Cumque jam ultimum spiritum duceret, magnam lætitiã præ se tulit. Quamobrem quidam assistentium Patrum ad moribundum conversus ait: frater unde, quæso, tibi tanta securitas, ut mortem non solum non pertimescas, imò hanc quasi irrideas, an nescis forsitan te magnã negligentia animique remissione vixisse? Cur ergò gaudes, ubi dolere deberes? Cui respondit frater: Est ita omninò Patres, vitam per summam negligentiam duxi; sed Angeli Dei hâc ipsâ horâ peccatorum meorum chirographum ad me attulerunt, cumque omnia peccata, quæ post ingressum religionis commisi, legissent, percontati me sunt, an ea agnoscerem? quibus respondi, maximè agnosco, sed ex quo renunciavi sæculo, vitamque monasticam institui, nec quemquam judicavi, nec ab ullo mihi factam injuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro, qui dixit: Nolite judicare, & non judicabimini. Et dimittite, & dimittetur vobis. Quæ postquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum considerunt, & inde nunc summã cum lætitiã & securitate proficiscor ad Dominum. Hæc ubi frater ille narravit Patribus, suum spiritum Domino reddidit, magnæque astantibus ædificationis utilitatiscue causa & auctor extitit.

20. Quapropter chare frater, si & tu cum hoc felici Monacho divinum judiciũ se-
curè effugere discupis, & ut mortem cum interna cordis lætitiã prætoleris, seque-

*Historia.
Baron.
to. 8. an-
nal. An-
no 599.*

60 *SERMO IX. de Temerario Judicio.*

re hujus Religiosi viri exemplum. Enimverò ut hæc suaviùs præstare valeas, observa diligenter pro coronide binas has doctrinas practicas, quarum unam tibi suppeditat quispiam Ascera dicens: Malè tibi diligentissimè non secùs atque à maximo peccato cave, nè ullo de aliis judices modo: sed quidquid illi fecerint, dixerintve, in meliorem partem accipe, sollicitèque apud teipsum inquire, quâ eos defendas ratione, non aliter ac si ipsorum ageres advocatum, quod si id, quia res prorsus evidenter mala est, præstare nequeas, nihilominus eosdem apud te, quantum potes excusa, conjiciendo culpam, vel in deceptionem animi, vel in tentationis vehementiam, vel in malitiam diaboli, vel in id genus alia, & tuum denique animum ab horum cogitatione averte. Alteram verò sumes ex eo, quod Deus S. Catharinæ Senensi dixit: ut attingere possis ad unionem & puritatem, nunquam judices de re aliqua, quam videris ab aliquo fieri sive dici contra te, sive contra alium. Etsi videres etiam peccatum expressum, extrahes ab ista spina rosam odoriferam, videlicet eos offerendo coram me per veram & fraternam compassionem, & isto modo pervenies ad puritatem perfectam. An non hæc magna promissa? Igitur sic facies, quandounque & quotiescunque conspexeris fratrem tuum minus recta egisse, converte te toto cordis affectu ad DEUM dicendo: O mi dulcissime DEUS, ecce frater meus hoc & illud malum perpetravit, utrum autem hoc sit in oculis tuis etiam perversum, uti videtur meis, planè ignoro; sive igitur sit ita sive non, à me procul tamen absit hoc judicare. Verumtamen O mi DEUS hoc te enixè oro, quod si frater meus verè per hanc aut illam actionem te summam bonitatem offendisset, quæso parce ipsi, ac resurgendi gratiam concede, neque propterea eum à facie tua repelle: Offero enim tibi in hujus defectus compensationem pretiosum sanguinem Filii tui, ipsiusque charitatem & mansuetudinem, quâ tolerat nos. Nosti etiam Domine ex malo elicere bonum, cedat igitur ad majorem tuam gloriam defectus iste, & ad majorem humilitatem delinquentis. Custodi præterea Domine oculos id spectantium, ne scandalizentur, liga linguam, manus &c. ne eadem agant. Quæ si diligenter observaveris, scito te nedum ex alterius lapsu non reportare malum, sed insuper ex hoc, quàm plurimos meritorum cumulos tibi congregabis, quare diligenter hanc methodum observare satages,

Vale.

